



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 136. An illa, quæ ex consuetudine mortaliter malâ postea inadvertenter fiunt, sint confitenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

Confessarius, imprimis tanquam Judex, habet jus cognoscendi, an pœnitens seriò proponat emendare sua peccata necne, item an non fortè adhuc sit in occasione proxima relapsuum, ergo habet jus interrogandi de consuetudine peccandi, nam ubi hæc est, sæpe deest propositum emendandi, aut remanet occasio proxima. Deinde etiam ut Medicus habet jus interrogandi, nimirum in ordine ad præscribenda remedia emendandi talia peccata consuetudinis, ideoque per accidens tum erit obligatio sæpiùs indirectè saltem manifestandi eadem peccata.

§. 5. Si pœnitens sit doctus simulque certus 972. se esse rite dispositum nec indigere consilio Confessarii, putant plures cum Moya à n. 13. tum non teneri respondere, sed videtur tenendum oppositum cum Carden. in 2. crisi diff. 37. à n. 35. tum quia Confessarius habet jus se etiam ex parte sua certificandi de istis, ergo pœnitens habet obligationem respondendi, tum quia pœnitens sæpe falsò præsumit se satis doctum aut non subesse causam. Peccaret tamen Confessarius, si ex mera curiositate hoc indagaret, neque pœnitens tum teneretur respondere. Nec debet Confessarius ad singula peccata inquirere, fecistine hoc sæpiùs? meritò enim tum præsumeretur ex curiositate inquirere, & si pœnitens tum teneretur semper respondere, posset Confessarius quandoque totam ejus vitam explorare, quod nimis durum est & redderet confessionem meritò odiosam omnibus.

Q. 136. An illa, quæ ex consuetudine mortali- 973. ter mala postea inadvertenter fiunt, sint confitenda.
R. §. 1. Rarò ista fiunt sine ulla advertentia malitia, aderit enim communiter advertentia saltem

tem virtualis sive tenuis & quasi imperceptibilis, quæ sicuti sufficit ad actu bene operandum, ita etiam ad actu peccandum.

974. §. 2. Si supponamus, quando ista fiunt, nullam prorsus adesse advertentiam malitiæ, talia non habebunt ullam novam malitiam formalem, uti constat ex dictis l. 5. à n. 16. & consequenter cum ista in se non sint peccata, nec externè compleant peccatum aliquod internum, sed tantum sint effectus peccati, secundum dicta n. 944. non est obligatio ista confitendi, sed satis est confessum esse vel confiteri actus antecedentes, per quos contracta est talis consuetudo, vel neglecta ejus emendatio, *Suar. de juram. l. 3. c. 8. n. 5. Sanch. in Dec. l. 3. c. 5. num. 33. Amic. De pecc. d. 22. n. 51. Dicast. hic d. 9. à n. 411.* Quod verum est secundum multos cum *Dicast. de juram. d. 2. n. 198.* quamvis consuetudo illa non sit retractata, tales enim v.g. blasphemix indeliberatæ non sunt voluntariæ, nec in se, uti supponitur, nec in causa, quia ista consuetudo non est quid voluntarium, quod poenitens debeat aut possit statim à se depellere, sed est habitus naturalis necessariò relictus ab actibus, qui habitus abjici non potest etiam à volente & retractante. Addit *Dicast.* talem consuetudinem non videri semper esse causam vel occasionem proximam peccati; nam quandoque etiam fortius inclinant ipsamet complexio naturalis & concupiscentia ex peccato originali orta, neque tamen hæc necessariò debent positivè expelli aut retractari, sed satis est habere propositum se continendi à peccatis, ad quæ inclinant.

975. Q. 137. *An confitenda sint circumstantia nota-*